



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutiones Morales

In Quibus Vniuers[ae] Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1612

18 De actionibus, quae Domino contra vasallum iure feudi conueniunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14014

& ad ipsum reuertu redeunte feudo: quia à re feudali separari non possunt.

Hanc opinionem esse communem testatur idem Clarus loco citato. Nihilominus tamen si sua pecunia vassallus seruitutem emerit, debet tantumdem soluere vassallo, quanti seruitutem emit. Ex quo Clarus colligit, si Princeps Titio casttrum in feudum dederit sine iurisdictione, & postea Titius, ab alio consecutus est iurisdictionem, non pertinere ad Dominum talem iurisdictionem, quia ea iurisdictione, sine castro potest peti se subsistere apud Titium. Sic etiam Baldus, & Ruinus apud eundem Clarum loco prefato.

Sextò quæritur, Ad quem pertinet fructus rei, quæ nomine, & iure feudi possidetur, ad beneficiariumne, an ad Dominum feudi? Respondeo cum Ioanne Copo de fructibus lib. 3. cap. 7. pertinere ad beneficiarium, nam eius est tale dominium rei in feudum data. Ita Baldus lib. 2. feud. tit. 55. §. *Præterea*. Immo in constitutione Federici Imperatoris, quæ in eo titulo continetur beneficiarii, qui in Italia, & Germania sunt, Domino in publicam expeditionem eunti, dimidiam partem reddituum vnius anni præstare coguntur, alioqui feudo priuantur, & in Gallia, teste eodem Ioanne Copo, moribus introductum est, vt si in præstando obsequio, & persoluenda fide Domino debita, beneficiarius mortuus fuerit, liceat Domino manum prædio feudali iniicere, & interim fructus facere suos, donec beneficiarius iusta obsequia ei exhibeat, ac ei se supplicem submittat, & in verba etus iuret. Quibus præstitis, vassallum in suam fidem Dominus recipit, & fructus facere suos desinit, & liberam vten di, & fruendi potestatem eidem restituit.

Illud etiam commodum Dominus capit, cum à defuncto vassallo in hæredem per lineam transfersam conuictum, prædium feudale transfertur, vel quoquo modo alienatur, redditum vnius anni, aut quintam partem, sub qua quæque partem pretii ipsius rei consequitur. Item, secundum vsam Medolanensem constitutum est, vt si vassallus decedat sine hærede masculo, & coniugato, feudum ad Dominum reuertit, si ante Martium vassallus decederit, omnes fructus, qui in illo anno ex feudo proueniunt, ad Dominum pertinent. Si vero post calendis Marti vsq; ad Augustum, omnes fructus, qui interim percipiuntur, hæredi vassalli debeantur. Si vero post Augustum obierit, omnes fructus illius anni, Dominus percipit. Alicubi est consuetudo, vt quocumque tempore anni vassallus moriatur, omnes fructus pendentes ad Dominum pertineant.

De actionibus feudi nomine, & iure vassallo competentibus.

CAPVT XVII.

Primò quæritur, Quæ nam actiones iure feudi vassallo conueniant contra Dominum? Respondeo, post possessionem, quam re ipsa à Domino consequitur, habere vassallum actionem in rem vtilem aduersus quemlibet possessorem, lib. 2. tit. 8.

Secundò quæritur, Vtrum ante possessionem vassallus actionem habeat aduersus Dominum? Respondeo, habere, si cum Dominus inuestit, vel etiam si simpliciter promiserit. Aget enim contra Dominum, vt sibi possessio tradatur, lib. 2. tit. 7. ad finem. Hæc autem actio dicitur actio ex lege, vel ex stipulatu. Petit autem vassallus hæc actione possessionem rei, & omnem vtilitatem, hoc est, quanti sua interest, eo quod Dominus possessionem in eum transfere re distulerit, lib. 2. tit. 7. ad finem.

Et hoc quidem in feudo nouo locum habet, nam in antiquo non possessio, sed tantum renouatio feudi petitur. Vassalli enim successor actum possessionem habet, & petit solum, vt sibi inuestitura renouetur: in nouo autem feudo

petitur vel inuestitura, vel possessio: & quando inuestitura præcessit, Dominus non liberatur à præstando, quod interest vassalli, nisi possessionem tradat, quia feudum per inuestituram constituitur, & eo ipso vassallus quasi dominium acquirit. At si in feudo solum contractus iuris fuerit, vel promissio facta, liberatur dominus præstando id, quod interest vassalli secundum ias commune, l. *Stipulationes non diuiduntur* l. de verb. oblig.

Tertiò quæritur, An huiusmodi actio conueniat hæredi vassalli contra hæredem Domini? Respondeo, conuenire, si laicus fuerit, qui inuestitur, lib. 1. tit. 9. Cogitur enim hæres eius inuestituram nondum factam implere, siue præstare. Si autem Ecclesiasticus sit, & decederit, antequam inuestituram vassallum, eumq; in possessionem miserit, non cogitur successor eius talem inuestituram facere, vel confirmare, lib. 1. tit. 3. Veluti, Seio ante aliquot annos Episcopus feudum concessit, deinde Titium de eo, adhuc viuo Seio, inuestiuit, ea ratione, vt Titius post obitum Seii illud consequeretur, & Episcopus moritur ante Seium, qui possidet feudum, non cogitur successor Episcopi inuestituram rata habere, nisi Titius nomine eius feudi in possessionem miserit viuo, & consentiente Seio. Quod si ante Episcopum, qui Titium inuestiuit, moriatur Seius, omnino hæres ipsius Seii, cogendus est transferre possessionem ad Titium.

Quartò quæritur, Quæ actio vassallo conueniat, si feudale prædium fuerit cuiusdam? Respondeo, liberum esse vassallo agere contra Dominum, pennde, ac si feudum traditum ei non fuisset: lib. 2. feud. tit. Aget enim, vt ea res, aut alia æquæ bona ei à Domino præstetur. Et hoc locum habet, si ignorans feudum accepit, putans bona fide esse eius, qui ipsum inuestiuit. Eadem actio conuenit vassallo contra Dominum, si Dominus velit defendere vassallum super feudo interpellatum, lib. 2. tit. 3.

Quintò quæritur, An aliqua actio conueniat vassallo aduersus Dominum contra ipsum delinquentem, lib. 2. feud. tit. 47. habetur, Dominum eisdem ex causis, ob quas vassallus feudo priuatur, amittere ius, quod habet in beneficiarium: vt si Dominus cum vxore vassalli rem habuerit, vel ei grauem iniuriam fecerit, datur actio vassallo, qua petat, vt declaretur se immunitum, ac liberum esse omni obsequio & officio, quod nomine, & iure feudi præstare cogebatur. Sic ut patronus, qui libertum suum accusat, perdit bonorum possessionem. l. *Qui cum maior ff. de bon. libero*. Sic etiam Dominus, qui iniuria vassallum efficit, nequit iure exigere ab eo ministeria, & obsequia.

De actionibus, quæ Domino contra vassallum iure feudi conueniunt.

CAPVT XVIII.

Primò quæritur, Quot, & quæ actiones Domino conueniant aduersus vassallum? Respondeo, quatuor actiones illi competere.

Prima est, Rei vindicatio directa iure communi.

Secunda est actio qua agit contra vassallum, vt ei debitum obsequium exhibeat.

Tertia est actio, si feudum Domino sit apertum, hoc est, ad ipsum delatum propter culpam vassalli, potest agere contra vassallum, petendo feudum, quod datum est: quæ actio dicitur traditio rei, ob causam datæ, & non secutam, lib. 1. feudor. tit. 3. Petit enim Dominus à Iudice, vt declaret. Feudum, ob culpam vassalli apertum, hoc est, sibi delatum.

Quart-

Quarta est actio, qua Dominus extra emptorem agit, si vassallus sine eius consensu feudum vendiderit: & hæc actio est rei vindictio: nam condicitur possessio, sicuti proprietatis, l. i. ff. de condit. triticaria: emptori verò bonæ fidei competit contra venditorem actio de euictione, lib. 5. tit. 5. alioqui malæ fidei emptor, qui habens rem alienam, emit, non habet actionem ex empto de euictione. l. Si feudum. C. de euictionibus.

Obiicit, ergo illud pretium venditori, qui sciens vendit, lucro cedit, siquidem emptor contravenditorem, actionem non habet, nec Dominus agit contra eum, sed contra emptorem? Respondeo, venditorem tunc non luctari pretium, quia secundum conscientiam cogitur restituere emptori ante criminis condemnationem: at post sententiam Iudicis, feudo, & pretio priuatur, & feudum Domino restituitur, & pretium fisco applicatur, iuxta communem regulam, quæ iniuste quaesita sunt, fisco cedere, l. Lucrum, in fine, ff. de iure ffici.

Secundo quaeritur, Vtrum actiones, quæ Domino in Vassallum, & contra, vassallo in Dominum conueniunt, bonæ fidei sint, an verò stricti iuris? Plerique negant, esse bonæ fidei, eo permoti, quod Instit. de actionibus. §. Bona fidei, inter actiones bonæ fidei non numerentur.

Sed certum est, hoc genus actionis redolere naturam actionis bonæ fidei, quæ est, vt iniucè præstetur, quod quisque debet ex fide bona. Quare quidam putarunt, hanc actionem esse addendam actionibus bonæ fidei, sicut addita est actio ex stipulatu, quæ rei uxoriæ actionem in se continet, ex Iustiano l. i. C. de rei uxoria actione. §. Fuerat.

Tertio quaeritur, an aliqua alia actio ex feudo nascatur? Respondeo, nasci actionem, qua alienatio feudi facta à vassallo, sine consensu eorum: quorum interest, vt pote filiorum & agnatorum proximorum, rescinditur: nam agunt aduersus emptorem, vt restituat rem feudalem, lib. 11. tit. 26. §. Titius, vt cum Titius nullos filios haberet, concessit agnato partem vnâ feudi, & extraneo alteram partem consensu Domini vendidit, Caius propinquior ceteris agnatus, volens repetere post mortem Titii partem alienatam, nullo etiam reddito pretio, id facere potest, & ad successionem in feudo venire, eo quod ius habet quaesitum ex inuestitura: recuperat quoque, viuo Titio, rem venditam, restituito pretio: sed si velit recuperare sine restitutione pretii, oportet expectare obitum Titii.

Et sciendum est, agnato ad rescindendam alienationem, intra annum, actione dari, lib. 2. feudo tit. 26. §. Titius. Post annum verò, ex quo sciuit alienatum esse feudum non auditur.

Quarto quaeritur, An interdicta possessoria Domino conueniant, & an itidem vassallo? Respondeo, vtrique competere, quia vtrique possidet: nam certum est, Dominum civilem possessionem retinere, & proinde exigere ministeria, & obsequia à vassallo debita. Vassallus itidem naturaliter possidet, siquidem per longam possessionem triginta annorum possit feudum acquirere, lib. 2. tit. 22. §. Si quis per triginta. Ad interdictum verò possessoriæ naturalis possessio sufficit, l. 1. §. Denotatur ff. de vi, & vi armata.

De Iudice competenti in controuersia feudalibus.

CAPVT XIX.

DE hæc re tractant iuris Canonici interpretes in C. ceterum. de iudiciis. cap. Ex transmissa. & cap. verum de foro competens. & cap. Romana. §. debet. de appellat. in sexto.

Primo quaeritur, Quis sit Iudex competens, quando inter duos vassallos est controuersia de feudo? cum scilicet contendunt duo vassalli, vter illorum ius habeat in feudo? Respondeo, esse Dominum feudi, si consistit, eos Dominum esse vassallos, & contentio sit inter eos de feudo, id est, de re aliqua ad feudum pertinente, non de aliis rebus, vel iniuriis lib. 2. tit. 5. §. Præterea. & tit. 34.

Secundo quaeritur, Quid dicendum sit, quando controuersia est inter Dominum, & vassallum de re ad feudum pertinente, non de aliis rebus, vel iniuriis, quæ feudales non sint: de his enim iudicat ordinarius loci, vt est communis opinio, teste Abbate in cap. Ceterum. num. 13. de iudic. Dominus itaque si contendat tibi vassallum debere certum ministerium, & obsequium, & vassallus id neget, si Dominus velit vassallum priuare ob crimen eius, vassallus verò neget se posse iure feudi spoliari? Respondeo, tunc item esse ordinandam per partes curiam, hoc est, per vassallos eiusdem Domini, lib. 2. tit. 5. §. Præterea. Est autem lis componenda per partes curiæ simul in vnum vocatos, lib. 2. tit. 10. & 20.

Hoc autem intelligitur, si ita inter Dominum, & vassallum conuenierit, quod si dissenserint, vel partes curiæ simul omnes congregati reuenerint, tunc Dominus eos ius habere adigendi: quam electionem vassallus sequi compellitur, ita vt si Dominus elegerit tres, pluresque ex partibus, vassallus quoque totidem, & non plures, vel pauciores eligere cogatur.

Tertio quaeritur, Quid dicendum sit, si quaesio sit de vindicatione rei feudalis inter vassallum, & alium qui non sit vassallus, qui contendit Dominum feudi esse sibi obligatum ad eum inuestiendum, vel ad donandum, aut vendendum sibi rem feudalem? Respondeo, tunc Iudicem esse ordinarium loci. Glossa in cap. ceterum, de iudiciis, & Panormitanus ibidem, num. 13. quia lex feudorum solum dat iurisdictionem Domino feudi, quando est quaesio inter vassallos non inter extraneos, agentes de feudo. Ergo talis iurisdictione restringenda, non relaxanda est, item, quia casus omnis sus intelligitur relictus in iure communi, vt notatur in cap. Susceptum. de rescrip. in 6.

Quarto quaeritur, An si suspectus Dominus sit, & lis sit inter vassallos, Iudex competens sit Dominus? Respondeo minimè: tunc enim cognoscunt, & iudicant de causa partes curiæ, lib. 2. tit. 46. Quod si partes non sint, vel fuerint suspecti, tunc lis dimittenda est per Iudicem ordinarium, lib. 2. tit. 15. Hæc autem locum habent, quando inter duos vassallos, qui non habent regalem dignitatem, lis mota est: nam si fuerint à Rege, vel Principe, vel Imperatore inuestiti, semper cognoscit causam Rex ipse, Imperator, vel Princeps, lib. 1. feudorum tit. 8. & lib. 2. tit. 38.

Quinto quaeritur, Quid dicendum sit, quando vassallus est Clericus, Dominus verò laicus, & contendit clericus vassallus cum alio vassallo clerico, vel etiam laico, vel cum ipso Domino laico: tunc ne Iudex competens erit Dominus feudi, an partes curiæ laici? Ratio dubitandi est, quia vassallus est clericus, & Dominus laicus, & Iudex clericorum laicus esse non potest. cap. si diligenti, de foro competens.

Communis est opinio, inter vassallos clericos, tunc etiam Iudicem legimum esse Dominum feudi, vt testatur Decius in cap. Ceterum, num. 20. de iudic. & Clarus

quasi.